



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

STEPHANVS C. COLONIENSE. CAROLVS CRASSVS 565  
P. V. I M P.

ANNO  
CHRISTI  
886.

NOTA IACOBI SIRMONDI  
SOCIETATIS IESV.

\* *Concilium in villa Portu.* ] In iisdem Narbonensibus schedis aliud etiam memoratur Concilium Tolosæ a Sigebodo metropolitano aliquot ante annos habitum Iudeorum causa, qui se durius tractari querebantur, aduersus Bernardum Tolosanum episcopum, in coeque Concilio confutatos atque conuictos fuisse Iudeos a Theodardo nondum episcopo.

ANNO  
CHRISTI  
887. CONCILIVM COLONIENSE  
CONTRA RAPTORES RERVM ECCLESIASTICARVM,  
oppressores pauperum, & incestas nuptias, celebra-  
tum anno Domini DCCCLXXXVII. tempore Stephani papæ V.

TITVL CI CAPITVLORVM.

- I. *De Drogone prius electo episco-  
po Mimidonensi, nunc confir-  
mato.*
- II. *Anathema in schismaticos &  
raptore ecclesiarum, ni resipi-  
scant.*
- III. *Standum esse antiquis patrum*
- IV. *Ne quis res aut iura ecclesiæ  
vsurpet.*
- V. *De equitate horum decreto-  
rum.*
- VI. *De adulteris, & incestis. Tum  
de monialibus vitiatis.*

P R A E F A T I O.

ANNO incarnationis Domini nostri Iesu Christi, octin-  
gentesimo octogesimo septimo in ecclesia beati Petri  
apostolorum principis, indictione tertia, Kalendis Apri-  
lis, conuenerunt in vrbe Agrippinensi vna cum consensu  
gloriosissimi imperatoris Caroli, & Moguntinæ sedis Luid-  
berti archiepiscopi, Vwillibertus humilis eiusdem præfatae  
vrbis archiepiscopus, Franco Tungensis sedis episcopus,  
Odilbaldus Traiectensis sedis episcopus, Vulfelinus Mi-  
migarnafurdensis ecclesiæ episcopus, Drogo Mimidonen-  
sis ecclesiæ episcopus, cum consensu venerabilis Rimber-  
ti episcopi, præsentibus etiam bonæ deuotionis abbati-  
bus Neuolongo Indensis monasterii abbatæ, Andulfo  
Vverdinensis monasterii abbate, Folchario Aquisgrani pa-  
latii abbate, cum præfatarum sedium presbyteris & dia-  
conis.

B b b b iii

566 STEPHANVS CONCILIVM CAROLVS GRASSVS  
P. V. IMP.  
nibus, & laicis quibusdam religiosis celebrata Synodo, ea  
quæ subiecta sunt diuini amoris instinctu de negotiis ec-  
clesiasticis promulgauerunt.

## C A P I T V L A.

I.

Quod clerus Mimidonensis ecclesiæ presbyterum nomine Drogonem vocatum, episcopum vnanimi consensu ad episcopalem promoueri ordinem petierunt, quorum petitioni effectum præbentes, ad pastorale eum promouimus officium.

II.

Quod Franco venerabilis Tungrensis sedis episcopus, cura pastorali permotus, & diuini amoris zelo succensus suggestit, sanctam Dei ecclesiam, non habentem maculam neque rugam, a schismatis & raptoribus, qui neque Deum præ oculis habent, neque ullius verentur occursum, neque diuina humanave lege a malo coercentur, sed ad omnne malum præcipites feruntur, grauiter vexari. Cuius suggestioni valde condolentes, illiusque zelo secundum canonicæ institutionis decreta compatientes, decreuimus, eos qui tam pertinaci stimulo irretiti sunt, vt ea mala sanctæ matris ecclesiæ inferrent, aut statuto tempore pia consideratione illorum saluti consulentes, videlicet in festiuitate sancti Ioannis Baptistæ, octauo Kalendas Iulii in Foro Iulii, quando iterum Deo annuente Synodus celebranda erit, poenitentiæ & emendationi secundum priscorum statuta patrum se summittant, aut si instigante diabolo, cuius instinctu ad tam nefandum peruererunt flagitium, hoc con-